

456. *Secus, quando iudex prælegit partibus testium depositiones, vel quis eas subtrahit, etc.* — Econtra vero, quando iudex partibus præsentibus, tacentibus et audientibus prælegit testium depositiones, tunc indubie censentur a partibus testificata didicita, seu plene percepta. Et idem dicendum, quando quis testificata subtrahit, vel penes notarium, aut aliam personam existentia perfecte legit, arg. c. *Ultra tertiam*. 53. h. t. Vel quando alias hæc penes ipsum aperta, seu desigillata reperiantur: præsumitur enim testificata perlegisse, sicque didicisse; nisi forsitan oppositum probari posset, v. g. ex eo quod attestations penes ipsum reperiantur adhuc clausæ, et non disigillatæ. Farinacius cit. quæst. 75. n. 43. et alii, quos copiose citat.

457. *Post publicationem attestationum, et didicita testificata nequit pars super eisdem articulis reproducere priores testes, nec alios producere; et cur?* — Resp. II. Post publicationem attestationum, et didicita testificata, non potest pars super eisdem articulis, vel directe contrariis, reproducere priores testes, neque alios novos producere. Ita Glossa c. *Fraternitatis*. §. *Novis*. et Abbas ibid. n. 4. h. t. Farinacius cit. quæst. 75. n. 68. et communis doctorum. Atque istud habetur expressum in Auth. *de Testib.* §. *Quia vero*. collat. 7. ubi dicitur: « Illud tamen indubium est, quia et si semel producens testes, aut his, aut testificationes tractaverit (id est, descriperit, ut explicat Glossa) aut adversario in hoc faciente ipse disputationem acceperit, et ex hoc didicerit testificata, non habebit omnino licentiam ullam ulterius uti testium productione. » Concordant textus in c. *Constitutis*. 46. h. t. ibi: « Cum nondum testificata didicerint: » sumpto argumento a sensu contrario. Et c. *Ex tenore*. 35. juncta Glossa fin. et c. *Veniens*. 38. §. *Pars autem*. 46. h. t. cum similibus. Accedit ratio: quia, postquam pars didicit testificata, subest periculum subornationis testium, seu ne pars, quæ testes produxit, eos subornet, ac instruat, ut aliquid addant, vel demant factæ suæ depositioni; prout notatur in Clem. 2. *de Testib.*

458. *Etiamsi didicisset testificata statim post primam, vel secundam productionem testium.* — Atque hæc conclusio non solum procedit ad impediendum quartam productionem testium, de qua fit mentio in c. *Ultra tertiam*. 55. h. t. sed etiam locum habet, quando quis post primam jam, vel secundam testium productionem testificata didicit,

probatur ex cit. Aut. *de Testib.* ibi: « Et si semel producens testes, aut his. » etc. Nam etiam tunc subest periculum subornationis testium, dum qui testificata jam didicit, per jura hæc allegata; sicque non possunt alii testes produci, aut reproduci.

459. *Et hoc regulariter loquendo, ac demptis certis casibus. Remissive.* — Intellige regulariter loquendo, ac demptis certis casibus, in quibus etiam post publicationem attestationum, aut didicita attestata, imo et post conclusionem in causa, posse novas probationes recipi, testesque produci aut reproduci, jam dictum est supra tit. præced. §. 6. n. 154. et seqq. et n. 163. et seqq. Sed de his ibi videatur, vel, si placuerit, legatur Prosper Farinacius *de Testib.* quæst. 75. n. 98. usque ad n. 255. ubi sexaginta septem tales limitationes adducit.

460. *In causa appellationis, an post didicita testificata possint priores, vel novi testes produci.* — Procedit insuper data conclusio in causa appellationis: nam etiam tunc post publicatas antea factas testium depositiones, et didicita testificata, non possunt amplius super eisdem, vel directe contrariis articulis, priores vel novi testes produci. Glossa in cit. c. *Fraternitatis*. §. *Novis*. et Abbas ibid. n. 3. h. t. rejiciens contrariam quorundam legistarum sententiam. Siquidem cit. Auth. *de Testib.* §. *Quia vero*, loquitur indistincte: et ratio prohibitionis, scilicet timor subornationis, quæ est in causa principali, pariter militat in causa appellationis. Accedit nova decisio apostolica, seu textus apertus in Clem. 2. h. t. ubi et hujus ratio additur, illis verbis: « Cum non minus in appellationibus, quam in principali causa, subornatio sit timenda. » Intellige tamen hoc ipsum regulariter, demptis nimirum casibus, de quibus n. præced. remissive dictum fuit.

461. *Timor subornationis testium magis urget post publicationem attestationum quam antea.* — Dices. Timor subornationis testium etiam urget ante publicationem attestationum; cum pariter antea super causa principali possint testes subornari, arg. c. *Licet causam*. 9. §. *Post hoc de Probat.* et c. *Sicut nobis*. 9. h. t. ergo. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Joan. Andreas in d. c. *Fraternitatis*. n. 24. et Abbas ibid. n. 3. h. t. ante publicationem attestationum non subest tantus timor subornationis testium, quantus postea. Siquidem pars verisimiliter antea sperat, se posse intentionem suam probare per testes, vel ad-

versarium suum in probando succubitorum; sicque minus est sollicita de subornatione testium: secus dicendum post jam didicita attestata, ubi videt se succubitorum, nisi aliter testes deposuerint; unde spe victoriæ, seu ne succumbat, facilius induceretur ad testium subornationem, si denuo super iisdem articulis, vel saltem directe contrariis, testes producere, vel reproducere posset.

462. *Solvitur instantia ex c. Cum causa h. t. — Urgebis.* In c. *Cum causa*. 42. h. t. recipiuntur testes, etiam jam antea producti, ad probandam eandem causam; ergo. Resp. neg. consequent. Quia, licet ibidem fuerint testes recepti super eadem causa, videlicet læsionis, ultra dimidium justii in contractionis venditionis; non tamen idem testes fuerunt reproducti super eodem articulo, sed super articulo diverso: nam testes illi in secunda productione solum debuerunt deponere de valore, seu quantitate pretii, quo res vendita constabat tempore venditionis; prout liquet ex textu, et amplius probat Glossa ibid. §. *Ad alium*. Porro, quod super diversis articulis possint testes tum eisdem, tum diversi sæpius produci, etiam post publicationem attestationum super uno articulo factam; patet ex c. *Fraternitatis*. 17. juncta Glossa §. *Novis*. h. t. estque jam dictum tit. præced. §. 6. n. 150.

§ XIV.

DE JURAMENTO TESTIUM.

463. *Testis antequam deponat, debet jurare; alioquin non probat.* — Quæritur I. An, et de quibus testes ante suam depositionem jurare debeant? Resp. I. Testis, antequam deponat suum testimonium, debet jurare: alioquin dictum ejus non probat. Ita communis; et habetur expressum in c. *Nuper nobis*. 51. h. t. illis verbis: « Nullius testimonio, quantumcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. » Ubi proin Joan. Andreas, Abbas in *Summaria*, Barbosa, et alii passim, hanc regulam ponunt: « Non creditur testi, etiam religioso, qui sine juramento deponit. » Concordat textus in l. *Jurisjurandi*. c. h. t. quæ est canonizata can. *Si testes*. §. *Jurisjurandi*. 4. q. 3. ubi dicitur: « Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, coarcentur: » juncto c. *Fraternitatis*. 16. et c. *Tuis questionibus*. 39. h. t. et l. *Testium*. C.

eod. cum similibus. Unde ob textus juris claros, quod præsens conclusio contradictoriam non habeat testatur Farinacius *de Testibus*, quæst. 74. n. 2. quamvis ipsa procedat solum « regulariter, » demptis videlicet certis casibus, infra n. 471 et seqq. referendis; et salva illa quæstione, an sufficiat testem jurare post depositionem suam, de qua n. 492. et 493.

464. *Juramentum testium est de veritate dicenda.* — Resp. II. Juramentum testium est de veritate dicenda; et quidem de tota, quam noverunt de re illa super qua deposituri jurant. Ita Glossa fin. in c. *Fraternitatis*, h. t. quam approbat Joan. Andreas ibid. n. 15. et Abbas n. 13. Speculator tit. *de Teste*. §. *Sequitur*. n. 1. Farinacius cit. quæst. 74. n. 5. et seqq. et alii. Idque patet ex can. *Hortamur*. 4. q. 9. ubi testes jubentur veritatem aperire, « tactis sacrosanctis Evangeliiis, præbito etiam legaliter sacramento, quæ in veritate rerum noverunt, ut patefactis omnibus, quæ secundum leges, et justitiam censenda sunt, » judex cognoscere, et competentem legibus, et veritati terminum dare valeat. Concordat Auth. *de Testibus*. §. *Sancimus autem*. collat. 7. cum similibus.

465. *Quinque capitula, secundum Glossam, sunt juranda per testes: nempe, quod dicent totam veritatem.* — Atque idcirco Glossa fin. cit. c. *Fraternitatis*. h. t. ponit quinque capitula juranda per testes; quibus Jo. Andreas et Abbas, ubi supra, addunt sextum. *Primo*. enim jurabunt, quod dicent totam veritatem judici, vel cui is commiserit, quam noverunt de re illa, super qua jurant, ut proxime dictum. Et hinc inquit Speculator cit. §. *Sequitur*. et Pirhing n. 116. h. t. allegans insuper Imolam in c. *Testibus*. n. 2. eod. notandum esse, quod nec iudex, nec partes pati debent ut testes de varietate jurent super certis duntaxat articulis (sic enim non valeret eorum testimonium super aliis, quæ nonnunquam contingunt; eo quod de his non jurati deponerent) sed debeant jurare super articulis datis, totaque causa; et sic valebit eorum testimonium super omnibus ad causam facientibus; ut cit. can. *Hortamur*. 4. 9. et c. *de Testibus*. 29. h. t. et c. *Cum dilecti*. 18. §. 1. *de Accusatione*. Hoc ipsum confirmat praxis recepta tribunalium, juxta quam testes jurant, quod dicent veritatem super illis, de quibus fuerint interrogati: tale enim juramentum respicit totam causam, quando de ea, sicut possunt, interrogabuntur.

466. *Nullam interserendo falsitatem.* — *Secundo*, testes jurabunt dicere veritatem, nullam interserendo falsitatem; ut can. *Nullam damnationem*. 2. q. 4. ibi: « Et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præsent, quod nihil falsum depromant: » juncta Glossa ibid. §. *Falsum*, quæ pariter enumerat quinque ista capitula per testes juranda. Verum hæc verba sufficienter in priori capitulo includuntur, etsi formam dicendæ veritatis magis specificent, et declarent: unde quod verba ista, de falsitate non immiscenda, in practica non apponantur juramento testium, refert Farinacius cit. quæst. 74. n. 12. allegans alios.

467. *Et quid dicent veritatem, pro utraque parte.* — *Tertio* jurabunt testes, quod pro utraque parte dicent veritatem quam sciunt, can. *Non sane*. 14. q. 5. ac notat Glossa, ubi supra, Speculator loc. cit. n. 1. istud ulterius probans ex Auth. *Sed iudex*. c. de *Episcop. et cleric.* et c. *Veniens*. 38. § fin. h. t. ibi: « Ut vocati ad testimonium libere valeant pro utraque parte testari. » Maranta part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Testium productione*. n. 19. Farinacius d. quæst. 74. n. 16. allegans alios. Sicut enim testes pro utraque parte tenentur dicere veritatem, ita etiam jurare. Pirhing h. t. n. 116.

468. *Et quidem omnem veritatem, sive interrogati, sive non.* — *Quarto*, jurabunt testes, quod dicent omnem veritatem, sive interrogati, sive non, arg. c. *Cum dilecti*. 18. § 1. de *Accusat.* et notat Glossa fin. in cit. c. *Fraternitatis*. h. t. et can. *Nullam damnationem*. 2. q. 4. §. *Falsum*. Farinacius ead. quæst. 74. n. 9. allegans alios: quamquam statim n. 10. subjungat, istud requisitum in practica non servari, seu in juramento testium non exprimi; sed sufficere, ut testis juret simpliciter de veritate dicenda: hoc ipsum enim importat omnem veritatem.

469. *Et quod non pretio nec amore, nec timore, etc., testimonium dicent.* — *Quinto* jurabunt testes, quod non pretio, nec amore, nec timore, vel odio, aut pro alio commodo, quod habuerunt, habent, vel habituri sunt testimonium dicent, c. *Quoties*. 5. et c. *Licet ex quadam*. 47. h. t. Glossa, ubi supra. Speculator cit. tit. de *Teste*. § *Sequitur*. n. 2. Farinacius loc. cit. n. 17. allegans alios: quamvis addat etiam hoc requisitum in forma juramenti testium non solere exprimi, cum sufficienter includatur in eo, quod testes jurent simpliciter de veritate dicenda.

470. *Alii sexto requirunt, quod testes jurent secreto tenere dictum suum.* — *Sextum* capitulum, quod extra Glossam Abbas in cit. c. *Fraternitatis*. n. 13. h. t. citans Joan. Andream, et Speculator loc. cit. n. 2. et Farinacius n. 18. cum aliis in juramento testium requirunt, consistit in hoc, quod testes jurent, secreto tenere dictum suum, illudque ante publicationem attestationum nemini revelare. Idque desumitur ex l. *Qui falso* ff. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes*. § *Qui falso*. 3. quæst. 3. illis verbis: « Qui falso, vel varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a iudicibus competenter puniantur. » Ratio hujus prohibitionis est, ne ex talium textuum dicto alii testes subornentur. Quanquam et istud requisitum potius sit de specificatione formæ juramenti, quam de ipsa forma, ut notat Farinacius n. 19.

471. *Dantur aliqui casus, in quibus juramentum testium non exigitur, sed probant testes non jurati.* — *Resp. III.* Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus juramentum testium necessario non exigitur, sed probant testes etiam non jurati. Ita Socinus in *Fallentiis*, reg. 424. plures tales casus enumerans. Farinacius cit. quæst. 74. n. 83. et 101. ac seqq. allegans alios. Idque probatur inductione:

472. *Ut, quando iudex super notorio recipit informationes ad suam plenam instructionem.* — Sic imprimis testis non juratus admittitur, quando iudex procedit super notorio, ac super eo recipit informationes, et probationes, ad suam plenam instructionem, arg. c. *Tua nos*. juncta Glossa §. *Testimonium*. de *cohabit. cleric.* et c. *Ad nostram*. 11. de *Jurejurand.* ubi dicitur, quod in notoriis ordo judiciarius non sit necessario observandus. Abbas c. *In nomine Domini*. 2. n. 7. et Felinus ibid. n. 7. h. t. Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 232. de *Jurejurand.* Socinus cit. reg. 424. fallent. 1; Mascardus de *Probat.* concl. 1369, n. 17; Farinacius n. 103. et 104. et alii.

473. *Item in probatione consuetudinis populi.* — Deinde testes non jurati admittuntur in probatione consuetudinis populi. Felinus c. *Tuis questionibus*. n. 2. h. t. Jason loc. cit. n. 232. Mascardus cit. n. 17. Farinacius n. 105. et alii, qui tamen loqui videntur de consuetudine notoria, eo quod de consuetudine, et notorio, simul loquantur.

474. *Et generaliter, quando testes recipiuntur pro informatione solius iudicis.* — *Tertio* generaliter admittuntur testes non jurati,

quando recipiuntur pro informatione solius iudicis. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 220. ff. de *Jurejurand.* allegans pro se Glossam singularem in cap. I. § *Si duo*. « de pace tenend. in usib. feudor. » et Baldum ibid.; Mascardus d. concl. 1369. n. 14. et 15. citans Innocentium c. *Cum in tua*. de *Sponsalib.* asserentem, quod iudex possit ad informationem suam procedere sine ordine et figura iudicii, et sine testibus in forma iudicii receptis. Farinacius loc. cit. n. 106. allegans complures alios.

475. *Unde executor literarum apostolicarum cum clausula: Si idoneum eum inveneris, potest recipere informationes a testibus non juratis.* — Inferitur proinde, quod executor literarum apostolicarum cum clausula, « Si idoneum eum inveneris, » possit recipere informationes a testibus non juratis. Mascardus loc. cit. n. 16. post Butrium, et Abbatem in cap. I. de *postulat. prælat.* Farinacius ead. quæst. 74. n. 107. allegans alios, et Socinus cit. reg. 424. fallent. 4. istud limitans, nisi diceretur, quod diligenter se informet: quia tunc testes deberent jurare, et partes citari.

476. *Probat testis non juratus, quando ipsi remittitur juramentum.* — *Quarto*, probat depositio testis non jurati, quando ipsi de consensu partium remittitur juramentum: prout remitti posse testi, præsertim illustri, aut religioso, vel in aliqua dignitate constituto, proxime dicitur.

477. *De consuetudine qua multis in provinciis personæ illustres sine juramento testificantur, etc. Non testimoniis, sed testibus judicandum est.* — Addit Farinacius loc. cit. n. 58. et Ludov. Engel h. t. n. 43. et Pirhing eod. n. 122. post Gailum lib. I. *Pract.* observat. 101. n. 13. et 14. in multis provinciis, ac nominatim in Bohemia, Austria, Bavaria, et aliis locis, ex singulari privilegio, et longa observantia atque consuetudine introductum esse, ut personæ illustres, et in dignitate constitutæ, sine juramento, solum sub fide nobilitatis, vel status sui testificentur, et depositionem in scriptis clausam, suoque sigillo munitam iudici transmittant. Quanquam de rigore juris « non sit testimoniis, sed testibus iudicandum, » juxta textum in c. *Tua nos*. 8. de *Coabit. cleric.* Siquidem « alia est auctoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent; » prout habetur l. *Testium fides*. § *Sabino*. ff. h. t.

478. *Consuetudo illa non valet, qua generali-*

ter omnibus testibus ceditur sine juramento. — Cæterum consuetudinem illam esse reprobendam, nec valere, qua generaliter, et omnibus testibus, etiam privatis indifferenter creditur sine juramento: merito censet Farinacius cit. quæst. 74. n. 57. et 58. citans Gailum d. observat. 101. n. 11. et 13. et alios, ac sequitur Pirhing cit. n. 122. et Engel ubi supra, n. 44. Quia talis consuetudo generalis foret irrationabilis, cum præberet ansam multis calumnationibus, falsitatibus et corruptionibus testium.

479. *Testes sine juramento recepti, licet non probent, ne quidem semiplene, faciunt tamen præsumptionem.* — Tandem, ut tacentur nonnulli alii casus, in quibus admittuntur testes non jurati, viderique possunt apud Mascardum, et Farinacium, ubi supra: Et testes sine juramento recepti plene non probent, imo nec semiplenam probationem faciant, ut inquit Mascardus cit. concl. 1369. n. 18. nihilominus faciunt ipsi aliquam præsumptionem. Glossa fin. c. *Nuper nobis*. h. t.; Jason, ubi supra. n. 220. Farinacius d. quæst. 74. n. 109. et 110. allegans complures alios. Quæ quidem præsumptio id operatur, ut si ab utraque parte par foret probatio prævaleret illa, quæ cæteris paribus haberet ulterius pro se testem non juratum. Menochius lib. I. de *Arbitrar. judic.* quæst. 26. n. 6; Mascardus d. concl. 1369. n. 18; Farinacius n. 110. et alii ab ipsis citati. Concordant dicta superius tit. præced. § 4. n. 79.

480. *Juramentum potest testibus remitti de consensu partium; et cur?* — Quæritur II. An juramentum possit testibus remitti? *Resp. I.* Testes possunt testificari de consensu partium etiam sine juramento, sicque potest illud illis remitti. Ita Glossa fin. et doctores communiter in c. *Tuis questionibus*. 39. h. t. ubi dicitur: « Testes producere absque juramenti depositione non possunt, nisi forte a parte remittatur adversa. » Accedit ratio, quia juramentum in favorem ipsarum partium principaliter introductum fuit, ne in earum præjudicium veritas occultetur: sed potest quilibet favori pro se principaliter introducto renuntiare, c. *Ad Apostolicam*. de *Regularib.* ergo. Accedit, quod quis verbo adversarii totum suum jus relinquere possit, l. ult. c. de *Fideicommiss.* ergo etiam poterit istud relinquere verbo testis, atque esse contentus, ut in proprium etiam præjudicium fides habeatur simplici ejus assertioni.

481. *Disparitas inter juramentum testium,*